



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

LII. Markgraf Ludwig verkauft seinem Vasallen Werner von Rudenzhofen
12 Stücke jährlicher Einkünfte in Kuhz, am 16. Juli 1347.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

LII. Markgraf Ludwig verkauft seinem Vasallen Werner von Rudenzhofen 12 Stücke jährlicher Einkünfte in Ruz, am 16. Juli 1347.

Noverint universi tenorem presencium inspecturi, quod Nos Ludowicus, dei gracia Brandenburgensis ac Lusacie marchio, Comes palatinus Reni, Bavarie et Karinthie dux, Sacri romani Imperii archicamerarius, Tyrolis et goricie comes, necnon aquilegiensis, Tridentinis et Brixinensis ecclesiarum advocatus, Considerantes fidelia obsequia nobis per strenuum virum Wernherum de Rudenzhofen dictum, familiarem nostrum fidelem dilectum, sepius exhibita et adhuc in posterum perpetuo fidelius exhibenda, contulimus et presentibus conferimus prenotato Wernhero suisque veris et legitimis heredibus ob id, ut nobis et heredibus nostris perpetuo in marchia corporali residencia commaneant, in villa dicta chucz duodecim frusta annuorum reddituum nobis in pachtu, precaria aut censu, aut in aliis quibuscunque redditibus in eadem villa situata spectantibus, necnon cum singulis et universis suis pertinencijs, qualitercunque nominatis vel ubicunque situatis, ad premissa duodecim frusta de iure vel ex debito pertinentibus cum omni iure, perpetuis temporibus sine impedimento quolibet nostri, heredum aut successorum nostrorum quiete et pacifice possidenda. In cuius rei testimonium presentes dari fecimus sigilli nostri appensi munimine firmiter communitas. Testes vero huius sunt strenui viri Sweykerus de Gundolfinghen, curie nostre Magister, Geberhardus de Chamer, Wolfhardus de Saczenhofen, Chunradus de Chumerspruchke et Chunradus de Vriberg, milites, cum ceteris pluribus fide dignis. Datum in Bozano, Anno domini Millesimo Trecentesimo Quadragesimo septimo, feria secunda, in crastino divisionis apostolorum.

LIII. Ludwig der Römer bestätigt die Schenkung seines Bruders Ludwig an Werner von Rudenzhofen, am 8. August 1352.

Noverint universi tenorem presencium inspecturi, quod nos Ludwicus Romanus, dei gracia Marchio Brandenburgensis et Lusacie, Sacri Romani Imperii Archicamerarius, Comes Palatinus Reny et Bavarie dux, vidimus litteras Illustris principis fratris nostri karissimi Ludovici senioris, Marchionis Brandenburgensis, infra scripti tenoris: Noverint — (cfr. de 1347, Nr. LII.) Quas gratas et ratas habentes, eas presentibus confirmamus. In cuius rei evidenciam presentibus sigillum nostrum est appensum, presente nobili viro Günthero iuniori, Comite de Swartzburgh, strenuisque viris Petro de Bredow, Hentschelino de Waldow, nostro Marscaleo, Marquardo Luterbek, Friscone de Wedern, Buffone de Alvensleben, militibus, Heinrico de Schulenborgh, Hennyngo de Veltbergh, Iudice curie nostre, cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Gardeleghe, anno domini Millesimo Tricentesimo quinquagesimo secundo, proxima feria quarta ante diem beati Laurencij.